5. Ab eo tempore (V. clariss.) quo in patria vestra convenimus,
nihil de rebus vestris intellexi. Spero tamen vos omnes salvos et
incolumes pristina frui prosperitate. Immaturus et funestus
Heroïs vestri obitus magno sane dolore, sicut debuit, nos affecit:
eoque magis, quod subitus et improvisus, majus aliquod malum videretur
minari. Si enim veneno sublatum suspicari fas esset, metuerem
ne idem periculum ipsi Electori aliquando esset expectandum,
siquidem tantum religionis odium, ut nuspiam sit tuta fides.
Ego ab eodem tempore pluribus calumniis expositus, a docendi
munere fere deturbatus fuissem, nisi motum et opera amicorum
quorundam D. Cellarium prorsus abalienatum, mihi rursus
conciliassem. Cum enim Wolphius noster ex palatinatu rediret,
nihil non moverunt pater et agnati eius, ut me depulso,
eum ipsi substituerent, atque hac ratione omnem accessum reliquis
quoque priperent. Quid quaeso futurum existimas, si quando
locus aliquis vacaret, quandoquidem haec nunc moliuntur, dum
non sine aliquo labore, sine omni interim praemio gratis doceo?
Sed haec omnia committo Deo. Habui pluribus septimanis per
manibus explicationem corporum caelestium. Eius doctrina tot
obscuritatibus et difficultatibus referta mihi videtur, ut non
mirum esset, si quis de singulis dubitare inciperet. Pauca
sane sunt, quae solide demonstrentur. Unius huius faciam mentionem:
quid incertius, quam utrum astra proprio motu circumvolvantur?
Licet enim Aristoteles videatur hoc demonstrasse, nosti tamen, quam
acute a viris doctis haec quaestio in utramque partem agitetur.
Sic et non demonstratur ab Aristotele mundum unum esse specie et
numero. Videntur enim rationes eius, quas 8 et 9 cap. 1 de Cael.
urget, non solum non apodicticae, sed et captiosae esse.
Posito enim, motum corporis simplicis esse simplicem, et mundos
plures specie eosdem dari cum nostro: non tamen sequitur
necessario terram nostram, quae naturaliter ad suum centrum
fertur, ad alterius quoque mundi centrum movendam. Homines
enim numero diversi et specie iidem sunt, unius tamen spiritus
et humores non moventur ad nutum et arbitrium alterius:
sed in suo toto moventur nullo habito respectu ad alios homines.
Possent igitur statui plures mundi, quorum quilibet haberet
suas partes, quae in suo toto ad sua loca moverentur.
Alterum quoque argumentum a materiae defectu desumptum, nil
aliud ostendit, quam mundum alium non posse generari
naturaliter: quid aliud diceret Christianus. — Nobis vero, qui
aliunde didicimus, ~~quomodo~~ mundum creatum esse, et quidem ex
nihilo, quis argumentum illud pro certo obtrudet? — Qui enim hunc
nostrum potuit ex nihilo producere, cur non possit, si vellet,
et alios ex nihilo condere. — Imo ex ipsis principiis peripateticis
idipsum poterit ostendi. Omnia enim, quae de aeternitate mundi Aristoteles
disputat (teste Scaligero) probant solum non genitum
naturali modo, in subiecto scilicet et e contrario. Interim

Aris agnouit Deum mundi caussam efficientem, sicut patet ex
1° de cœl. et 2. de gen: et probl. Sic in 12° Metaph.
ponit ens 1m, unum, infinitum, immensæ potentiæ etc. Licet
q° impossibile sit alios mundos gignere, cum nullum primum
~~subiectum~~ substratum sit, impossibile solum fuerit naturæ
finitæ, non illi primo enti infinitæ virtutis etc. alioqui
si præexistente materia necessario indigeret, non esset
potentiæ infinitæ. Existimo igitur mundi huius unitatem
hisce duabus rationibus non demonstrari, sed eandem unitatem
potius a caussa finali, nobis præsertim Christianis, petendam
esse. Atque hæc festinanter et confuse scripsi, rogo solum
animo, ut ex te cognoscam, quid hac de re statuendum sit.
Plura alias. Salutem officiosam tibi et uxori tuæ lectissimæ
dicimus ego uxorque mea. Vale v. cl. et me tui observantem
amare, ut facis, perge. Tiguro 4 Martij aº 92.

T. observ. Henricus Lavaterus Tig.

Clarissº viro,
D. D. Theophilo Madero,
inclytæ academiæ
Heydelbergensis physico
professori dignissº,
d. et amico suo
observº.

...elbrg.